

Alte Drucke

**Rerum praeclare || GESTARVM, INTRA, ET EX-||TRA
MOENIA MVNITISSIMAE CI-||uitatis Viennensis, pedestri &
equestri || proelio, terra & aqua, elapso ...**

Wien, 1561

VD16 ZV 27208

Equestris Certaminis LITERARVM EXEMPLVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149595

bini commodè conscendere poterant, in harum fastigio patibulum varijs frondibus obuolutum, summa industria extructum conspiciebatur, circus mira arte ex crassissimis trabibus circumseptus erat. Periuolum, quod ferè medium areæ occupabat, octoginta plus minusue passus continebat. Nunc consentaneum videtur, vt literas certaminis equestris hoc loco tibi proponam, antequam ad alia explicanda aggrediar, de quibus superiore loco mentio à me facta est, quas in area, ante palatinas ædes proclamaui altera Iunij die, quarum tenor talis est.

Equestris Certaminis

LITERARVM EX-

EMPLVM.



Onstanti omnium scriptorum fide memorie proditum est, quanta, & quàm celebris fides atq; constantia sit lectissimarum mulierum ac puellarum erga suos amantes admodum inconstantes ac lubricos, idq; vel vniuerso mortalium generi, non ignotum esse arbitror. Et quamuis aliquando viris occasionem iustæ aduersus se querelæ dedisse videri possent: tamen si res poenitius introspectatur, hæc culpa non tam innocentissimo foemineo sexui, quàm turpissimo, scelerato, impudico, ac cæco Deo Cupidini, & eius irritationi assignanda est. Quandoquidem verò ipsa æquitatis ratio postulare videtur, vt iustum tueamur, in facinorosos autem, ac omni flagitiorum genere infames animaduertamus, hac causa inductus Athleta quidam præclari nominis, Cupidinem vinculis constrinxit, ac illum ipsum ex remotis & exteris regionibus secum in hanc potentissimi inuictissimiq; Imperatoris &c. & Serenissimi Regis Bohemiarum

hæmiæ aulam (in qua tam claræ, auitæq; nobilitatis Herôes, cum aliâ sæpè, tum hoc præcipuè tempore innumerabilis series conspicitur) adduxit: idq; secum deinceps statuit, ut is nimirum, qui supplicium mereatur, decima sexta præsentis Iunij mensis die in malam crucem, improbis exemplo futurus, adigatur. His tamen conditionibus adiectis, ut vnicuiq; pugili, qui Cupidinis causam agere velit, non solum probare & asserere velim, illum instigatorem maiore pœna dignum: verumetiam idem cataphractus more Heroico, quatuor lanceis ultra peribolum decursis, defendere conabor. Ne verò aliquibus legibus astringatur, in incidentibus controuersijs ac discordijs se iudicio & compositioni ordinariorum Iudicum, cum subnexis conditionibus submittet.

Primo.

A Gonothera id excipit, ut antè vel post ingressum circi possit sibi eligere certaminis socium.

S ecundò, qui splendidioris corporis cultu in arenam antè alios descenderit brauium accipito.

T ertio, qui primam lanceam agilius, dexteriusq; confregerit, ille à Gynecæo præmium victoriæ ferto.

Q uarto, qui præ cæteris se virum rumpendis lanceis præstiterit, & illi palmam tradito, Cupidinemq; vno gradu demittito.

Q vinto, si Agonista melius, ornatiusq; quatuor illos cursus, decursusq; perfecerit ipso Agonothera, tum vno gradu Cupidinem deijcito. Si verò eueniat palæstritam, ipso Agonista quatuor illos cursus dexterius absoluisse, tum Cupidinem vno gradu eleuato.

I ij

Sexto,

SExtò, si quis hastam periuolo impactam confregerit, is omni lancearum iure priuator.

SEptimò, qui lancea in periuolum decurrerit vel tetigerit, ius hastæ amittitor.

OCtauò, si Agonotheres certatorem aliqua in parte armorum denudauerit, omnibus suis lanceis priuator. Si verò simili ratione eueniat, vt certator palestritam vincat, illum rursus repetito spacio decurrere concedito, & Cupidinem gradu moueto.

NOnò, eo modo & forma, qua in campum descenderit Hoplomachus decurrito.

DEcimò, concedito nemini in area decurrere, nisi id Dominorum Iudicum venia fiat.

VNdecimò, in vestitu abesto aurum purum, pannus argenteus aut tela argento intexta, aurum filo ductum aut argentum obryzum, aut vestes sericæ superinducto serico fimbriatæ, seu acu pictæ: nihilo minus tamen vti poterit aliquis argento puro, aut adulterino cum argento, tum auro.

DVodecimò, qui in ipso promiscuo cursu, decursuq; (quem eius artis periti follam vocabulo exotico appellant) plures lanceas perruperit, palmam merebitor.

VLtimò, quòd si tanta ceterua Agonistarum equitum in arenam descenderit, vt Agonothetæ cum singulis præscripto tempore congregi non possint, cum ijs, qui superfuerint postero die strenuè concurrent, alio tamen vestitu, quàm pridie vsi fuerint, in publicum prodeunto.

Hippomachiae Prin-

CIPIVM.



Ecimus septimus Iunij, qui lunæ erat sacer, exordium dedit Hippomachiae, circiter horam duodecimam pomeridianam, ut sequitur.

In primis splendide vetustæq; nobilitatis Iudices tabulata ascenderunt.

Generosi Domini, Franciscus Comes & Liber Baro à Turre, & in Creutz, hæreditarius Magister domus Carniolæ, Cæ. Maiestatis &c. consiliarius: Præterea preles comitatus Goritiæ, & Illustrissimi Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. supremus aulae præfectus &c.

Franciscus Lasso de Castilia, Serenissimæ D. Dominæ Mariæ Bohæmiæ Reginae &c. Primarius aulae præfectus. &

Adamus à Schmeckhowitz, Regi Bohæmiæ &c. à consilijs & cubiculis &c.

His adiuncti erant feciales Romanæ Cæ. Maiestatis &c. Tabulatis verò innitebantur, ab utraq; parte lanceæ, at trabes, & illæ contignationes propè, quas decurrebant nobiles distabant quindecim passus ab ipsa orchestra.

Sequitur ingressus Ago-

NOTHETARVM IN PALESTRAM

qui croceo, candido & atro vestitu inequitabant.



Einde, circum ingrediebantur palestræ, induti vestibus croceo, atro & candido coloribus distinctis. Hos præcedebant equis insidentes cubitines decem, & tympanum equestre tangens

I iij

vnus

vnus. Hi tunicas habebant sericas, demissis manicis, tribus coloribus supradictis insignes: Pilei quoque, trium diuersorum colorum speciem, ex serico confecti referebant, plumæque dependentes eadem varietate distinctæ: Tubis annexa erant vexilla eiusdem coloris. Theca præterea tympani equestris, itidem confecta ex serico, trinam serici latitudinem referente, ac iisdem coloribus resplendescente, quod passim ultra vnus vlnæ longitudinem dependebat. Hos sequebantur duo signiferi equestres, videlicet. Generosus Dominus Georgius Baro à Tanhausen, Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. pincerna & consiliarius bellicus, & summo loco natus Dominus Christophorus Vngnad, Serenissimi Bohæmiæ Regis &c. purpuratus, ambo splendide vestiti, nam vnicuique tunica erat ex holoserico croceo confuta, prælongis manicis, subductaque setabo nigro, baltei itidem holoserici, enses verò & pugiones aurati fulgebant, quos laminæ argenteæ ambiebant: capitis tegmina, ex Attalico croceo contexta, ac serico nigro subducta habentes: hæc fasciæ argenteæ circumibant, plumæ pileis affixæ, supradictis coloribus variatæ conspiciantur, horum vnusquisque vexillum equestre gerebat, iisdem picturis variatum, quæ feciales ex more postibus insigere debuerant. Verum, quoniam equestris ordinis vexilliferi expeditius, id peragere poterant, utpotè equis insidentes, & citius nobis fecialibus pedestribus in aream descendissent, ipsi signa lignis imposuere: Vnum in vltimo palestræ angulo, propè ædes Magnifici Domini Sigismundi, Baronis in Herbenstein, Neuperg, & Guerenhag, Sacræ Cæsareæ Maiestatis &c. consiliarij & primarij aulæ dycasterij inferioris Austriæ præsidis. Alterum, in ea parte, quæ Imperialem aulam versus spectabat locarunt.

His proximi erant duo adolescentes, equis insidentes, & ipsi supra modum vestium cultu exornati, vnus cuiusque enim indumentum ex holoserico croceo dissectum, ac atro subductum, demissis insuper manicis, conspicuum erat. Cassides capiti impositas, lanceasque ac dominorum suorum ancilia

lia

lia gerebant. Equi eorum ad stuporem phalerati, ac capitibus plumis exornatis spectabantur, nec eadem caudis illigatae miro artificio deerant. Ab his ordo armigerorum, seu eorum, qui in

circo excipiendis & accommodandis lanceis praesto sunt, incipiebat: primū summæ nobilitatis Domini in campū descendebant.

Claudius Triultz Comes in Meltz, Regis Bo.&c. dynasta.

Marcus Antonius Comes à Tartzerola, ac cohortis pratoriae Bohæmiæ Regis centurio &c.

Georgius à Tanhausen, Baro &c. &

Georgius Weltzer, Cæ: Maiestatis &c. consiliarius bellicus, hi omnes à partibus Domini Iohannis Alphonsi Gastaldi, agonotheæ stabant.

Inde sequebantur Domini Ludouici Vngnad armigeri, Generosissimi Comites & Domini.

Eckhius Comes à Salm.

Iulius Comes à Salm.

Christophorus Vngnad &

Wolfgangus Georgius Gilles, Sc: Boæ. Regis &c. satrapa.

Hi omnes vestibus ad signiferorum modum confectis amicti erant. Hos ponē sequebantur octo antecambulones decenti ordine, caligis ex holoserico candido confectis induti, quibus subductus erat niger Attalicus. Thoraces candidos diptheræ ex croceo attalico confutæ, elegantissimèq; dissectæ, ac nigro setabo subductæ, vestiebant. Galeri ex holoserico crocei coloris confecti, fascijs nigris atq; candidis, ac plumis tribus supradictis coloribus infectis, exornabantur. Hos excipiebant Domini Palestritæ atriae nobilitatis viri.

Ludouicus Vngnad Baro in Sonneckh, Potentissimo Bohæ. Regi &c. à cubiculis. &

Don. Ioannes Alphonsus Gastaldo, Serenissimi Bo. Regis &c. satrapa. Hi loriceis cælatis ac candidis inducebantur, quas tegebat sagum ex nigro Attalico confectum, sciteq; dissectū ac subductū aurea argenteaq; tela: arma, baltei, enses, eiusdē erāt coloris. Galeæ plumarum fasciculis insignes spectabantur. Ex equis quoq; manipuli plumei tam ex antilena, quā postilena depēdebāt, equorū verò stragula ex nigro holoserico cōfecta, ac vndiq; decussatim excisa

excisa rosis pulcherrimis, ac funiculis argenteis vndiq; obductis, vltra quàm dici potest exornabantur. Hæc strata subducta erant aurea tela, limbi ac laciniae defluentes, vna cū preciosissimis nodis orbiculatis, croceæ nigræ & candidæ erant, quæ quidem ornamenta summum splendorem quendam intuentibus offerebant. Inter hos Agonothetas, medium locum occupabat alatus ille puer Cupido, indutus scorteo habitu, in id præcipuè confectus, ut speciem nudi hominis ad viuum referret. Hunc ducebat quidam Generosi Comitis à Luna scurra perfacetus, nomine Gratus Gratzlerus (de quo superius abundè retuli) is Gratzlerus, iudiciis prius honore exhibito, ponè apprehendens Cupidinem, per scalas altissimi tabulari deduxit, ac in sexto gradu constituit. Scalæ verò non excedebant altitudinem viginti quatuor graduum. His itaq; ritè peractis, palestricæ armamentarium ingressi, se ad certamen præparauere.

Sequitur Prima Turma, sex

AGONISTARVM, QVI CIRCVM

PRIMO INGRESSI, CROCEO, SPADICEO, & albo coloribus fucere insignes.



HOS excipiebant duodecim tubicines cum tympano equestri, equis insidentes amicti candidis sericis vestibus, quibus prælongæ annexæ erant manicæ: Fimbriæ vestium ipsdem tribus constabant coloribus, transmissis etiam serico vestibus: Pilei formam Galeæ referebant: Vexilla tubis assuta itidem tot coloribus variata spectabantur: Tympanum ferreum, serico tribus coloribus distincto, trinam serici latitudinem referente, ac in latitudinem vnius vlnæ dependente, obducebatur. His proximi erant gentilitio nomine clari armigeri ac Domini.

Casparus

Casparus Liber Baro in Herberstain, Neuperg, & Gueten-
hag, Illustrissimi Archiducis Austriae Caroli &c. supremus cu-
bicularius ac curiae Praefectus.

Iacobus ab Athmis, eiusdem Illustrissimi Caroli cubicula-
rius & Hippocomiae praefectus.

Christophorus à Gratz.

Andreas à Puechaim, Dominus in Haidenreichstain, hære-
ditarius Austriae citrà Anisum dapifer.

Eustachius à Branckh.

Christophorus à Kaynach Baro ibidem.

Bartholomæus Genger, Serenissimi Bohemiae Regis &c.
accipitrum praefectus.

Iohannes Rueber, Roma. Cæsa. Maiestatis &c. copiarum
dux & eques auratus.

Ferdinandus Rueber, fratres.

Christophorus Sigismundus Romer à Maratschs, militiae
Teutonicae magister.

Casparus Melchior Romer à Maratschs, Caroli Archidu-
cis Austriae prægustator.

Ferdinandus à Collaus Watzler nomine.

Hi omnes tibialia ex holoserico candido confecta gerebant:
Fimbriae ex serico croceo constabant, subductum erat sericum
spadiceum: Caligarum incisuris intertextae videbantur rosae au-
reae: Thoraces verò ex candido Attalico conficiebantur: Teg-
mina capitum holoserica erant iisdem, ut supra dictum est, colo-
ribus variata: Plumae quoque affixae, eundem in modum versu-
colores.

Succedebant his, qui à pedibus sunt, aut si mauis anteam-
bulones duodecim, albis holosericis vestibus, tribus distinctis co-
loribus induti: Limbi ex serico constabant triplicato, summa
industria dissectis interstitijs, scissuris pannus subductus erat be-
tici coloris & albus gossipinus intersertus, ex tunicis praelongae
manicae dependebant sericae, albedine tinctae, funiculis quibusdam
miro ornatu assutis: Pilei, cingula, vaginae, calcei ex candido
holoserico erant. Præterea galeros exornabant plumae, supradictis

K

tribus

tribus coloribus distinctæ. Hi ut antè dictum est, mira vestium elegantia, terni ac terni æquato ordine progrediebantur. Post hos incedebant inclyto genere nati sex Agonistæ.

Primum, Illustrissimus Carolus Austriae Archidux &c. cataphractus armis candidis, ac vndiq; relucens, insigni & superbo, ac eximie magnitudinis equo insidens, phalerisq; ad stuporem exornato conspiciebatur. Hunc excipiebant cæteri quinq; Agonistæ Domini.

Casparus Preiner Baro in Stubing, Fladnitz & Rabenstein, Illustrissimo Archiduci Austriae Carolo &c. à cubiculis.

Carolus Ludouicus Baro in Zeltingen, Dominus in Zierendorff, Catholici Hispaniarum Regis Philippi &c. dapifer.

Iohannes Proskowski à Proskaw, iunior, Cæsareæ Maiestatis &c. in arce Trenschina præses, Serenissimiq; Bohæmiæ Regis &c. pincerna.

Georgius à Collauffs, Caroli Austriae Archiducis &c. cubicularius. &

Jacobus Zach, idem Archiduci à cubiculis.

Prædicti omnes, vnà cum equis hunc ornatum habuere. In primis, singuli thoracem ferreum, admirabili Vulcani industria elaboratum gerebant. Galearum cacumen preciosi plumarum ornabant fasciculi, iisdem tribus coloribus, ut paulò antè à me relatum est, imbuti. In illa corporis parte, quæ à cingulo ad ima vergit, succincti erant medio quodam vestis genere, ex candido holoserico confecto, huic assuebantur rosæ aureæ. Equorum stragula, ex albo attalico contexta, croceoque serabo obducta erant, subducta verò spadiceo attalico, deinde florum seu rosarum instar excisa, quibus interlucebat pannus phoeniceæ coloris subductitius, vnà cum rosis aureis intextis. Fimbriæ solerti quodam ingenio iisdem coloribus variatæ conspiciebantur.

Ex stragulis laciniae dependebant croceo, fusco, & candido coloribus conspicuæ, quarum extremæ partes nodis, seu globulis quibusdam, iisdem coloribus infectis, summoperè decorabantur.

ALTERA

Altera Turma, Albo &

CÆRVLEO COLORIBVS

VARIATA, DVOS HABVIT
certatores.



OST hos circum ingrediebantur quatuor tubicines, cæruleis & candidis amicti tunicis attrahicis. Pilei vnâ cum plumis infixis, eundem colorem referebant. Tubis ex candido, cæruleoq; setabo vexilla dependebant. His à tergo iungebantur quatuor anteambulones, quorum caligæ ex albo panno confectæ, cæruleoq; setabo subductæ fuere. Thoracibus idem color erat, eodemq; subductio panno ornati. Tegmina capitum & plumæ, & quicquid præterea habebant ornamentorum, supradictis coloribus distincta fuere. Proximi ab his erant quatuor armigeri, antiqua parentum prosapia illustres.

Casparus à Lodron, Regis Bohæmiæ &c. archidapifer.

Nicolaus Comes à Salm, Cæsa: Maiestatis &c. dapifer.

Bartholdus Baro in Leip, Maior domus Bohæmiæ seu Marischalcus. &

Maximilianus Baro à Polhaim & Wartenburg, prætorianorum custodiæ corporis equitum dux.

Hi vestes gerebant coloribus supradictis insignes. Tunicas ex holoserico albo confectas gerentes, quas fasciæ sericæ, eiusdem coloris ambiebant. Tegmina ijsdem commemoratis coloribus, vnâ cum plumis redimita erant. Horum vestigijs agonistæ duo, stemmate & imaginibus clari insisterant.

Vratislaus à Bernstain in Tobischaw, eques aurei velleris, ac Serenissimo Bohæmiæ Regi &c. à cubiculis.

Adamus à Dietrichstain, Serenissi: Bohæmiæ Reginae Archippocomus.

Hi præclarè gestis insignes viri, eodem vestium cultu, quo & armigeri utebantur. Equorum verò phaleræ, iisdem coloribus resplendescabant.

Tertia Turma, vnius

EQVITIS, ATRA ET

CANDIDA ERAT.



IS succedebant duo tubicines, tunicas ex serico nigro confectas gerentes, quarum laciniae ex albo serico defluebant. Tubis iisdem coloribus vexilla dependebant. Galeris atris, quibus fasciae candidae erant obuinctae, utebantur. Hos sequebantur duo gentilitio nomine clari armigeri.

Iohannes Fridericus Hoffman, Baro in Grienbuchl & Strechawer, hæreditarius præses Stiriae, & hæreditarius maior domus Austriæ & Stiriae. &

Vdalricus à Scharpfenberg.

Hi atris holosericeis tunicis induti, manicis demissis, erant, quæ virgatæ argenteis limbis renitebant pilei, ex nigro holoserico confecti, phrygio opere elaborati, decorabantur. Lanceam vnusquisq; manibus gestabat. Hos sequebatur præstantis & claræ nobilitatis, rerumq; gestarum gloria insignis Agonotheta.

Sebastianus à Windischgratz, Baro in Waldenstein & in Thall cataphractus, à Zona medium vestis genus cum ampiebat, quod & limbis candidis obducebatur, manibus ferebat candidum baculum. Hunc illustrem Heroa, ponè sequebantur duo adolelescentes, summo loco nati, eodem corporis cultu conspicui, qui itidem lanceam manibus gerebant.

QVARTA

Quarta Turma, Flavis

AC NIGRIS INDUTA VE

STIBVS, VNVM HABVIT
pugilem.

OST hos catadromum ingrediebantur quatuor Aeneatores, croceis ac atris amicti manicatis vestibus, galeri itidem eodem modo vnà cum affixis plumis bicolores erant. A tubis pendebant vexilla, eiusdem coloris. Hos excipiebant equis insidentes duo armigeri, nigris holosericeis induti tunicis. Thoraces, ex serabo flammeo constabant. Fasciæ, per transversas vestes corpus ex serabo concolores decorabant. Pilei, ex holoserico nigro confecti erant, quos fasciæ flauæ eiusdem serabi circumdabant. Plumis concoloribus exornati fuerunt. Scipiones, quos manibus gestabant, iisdem coloribus infecti conspiciebantur. Hos sequebatur origine clarus.

Bernardus Stadler à Stadl dynastes Stirus, Generosissimo insidens equo cataphractus. Galeam preciosissimus plumarum adornabat manipulus. Succinctorium præterea & phaleræ ex nigro holoserico constabant, quadranguli instar elegantissimè excisæ, quas passim orbes ex serabo confecti, decorabant. Ex cuspide, facti è serico flauo & atro pulcherrimi nodi pendebant. Præterea, vnusquisq; lanceam & ancile manibus gerebat, equum antè & retrò preciosissimæ plumæ eorundem colorum exornabant.

K iij

QVINTA

A T X H 2

S E T I M A

Quinta Turma, Albo

ET FLAVO AC SPADI.

CEO COLORIBVS DISTINCTA,
tres pugiles habebat.

Vintò, sex Æneatores in circum veniebant, induti versicoloribus tunicis. Pilei præterea, & plumæ vnà cum vexillis sericis, eorundem colorum erant. Hos sequebantur sex armigeri, induti spadicijs longè splendidissimis holosericis vestibus. Thoraces flauo colore insignes, ex Attalico confecti spectabantur. Tunicas verò duo limbi holoserici, flauo ac candidi coloris obibant. Caput pileus ex attalico villosus, itidem phænicus tegebat. Hos adornabant eorundem colorum elegantissimæ plumæ. Manibus depictos scipiones eodem modo gestabant, deinde ordine prodibant tres athletæ utpotè.

Michael Rindsmaul in Frauenhaim.

Guilielmus à Glaispach. &

Ferdinandus Rindtscheidt in Fridperg.

Hi omnes pompa longè celeberrima in aream cataphracti armis relucens, equisq; vecti veniebant. Pro cono pulcherrimæ iisdem coloribus imbutæ plumæ galeis imponebantur, fuscæ cinctoria, & equorum phaleræ, ex holoserico betici coloris, limbisq; holosericis croceis ac candidis exculta erant, lacinijs vndiq; spadiceis defluentibus. Antilenæ, & postilenæ preciosissimis plumarum manipulis condecorabantur.

Lanceam præterea vnusquisq; vnà cum ancili affixo ferebat.

SEXTA

Sexta Turma Flauo, ni.

GRO ET ALBO COLORIBVS

EXORNATA, SEX AGONI-

stas habuit.



Extò, in planitiem descendebant octo tubicines, tunicis nigris, ex Atræbatensi serabo confectis, induti: Limbi circumcircà ex attalico, quod à Brugis belgicæ ciuitate nomen habet, albo et croceo constabant: Thoraces ex eodem serabi genere erant, capitum tegmina quoq; attalica, ijsdem tribus coloribus imbuta gerebant, quibus plumæ tricolores hinc indè obuolantes imponebantur. Tubis vexilla, ex serabo, ijsdem coloribus distincta dependebant. His proximi erant duodecim armigeri, nigris holosericis amicti tunicis, seraboq; candido ac croceo subductis. Galeri ex holoserico nigro erant, quos plumæ prædictis coloribus variatæ condecorabant, manibus vnusquisq; lanceam, vnà cum parma inserta ferebant. Subsequebantur hos spectatæ & virtutis & nobilitatis viri, terni & terni æquato ordine ingredientes.

Guilielmus Gratswein in Waier, eques auratus.

Philippus Preiner Baro in Stubing, Fladnitz & Rabenstein, &c.

Achacius Baro in Herberstain Neuperg & Guetenhag.

Otto à Ratmansdorff in Sturbmberg.

Ioachimus à Trautmāsdorff in Trautenberg & Kirchperg &

Leonhardus Steyger.

Hi omnes cataphracti, armis Corinthio opere elaboratis, aurisq; & argento fulgentibus, induebantur. Succinctoria præterea & phaleræ ex holoserico nigro confecta erant, quibus funiculi ex serabo, instar quadranguli, assuebantur. In medio aurea rosa eminebat. A fronte & à tergo equis pulcherrimi plumarum manipuli imponebantur, manibus vnusquisq; depictum scipionem, ex ijsdem tribus coloribus gerebat.

SEPTIMA

Septima Turma, Flauo ET ATRO COLORIBVS

CONSPICVA, DVOS PVGI-
les habuit.



Eptimô, in circum non longo post interuallo descendebant sex rubicines, tunicis nigris induti, lacinijs in morem squamarum aureis passim defluentibus: Galeri vnâ cum plumis ex Attalico bicolori visebantur, quos aureæ quoq; laciniæ ambiebant. Hos subsequebantur infra scripti armigeri, vtpotè Generosi Domini.

Ernestus Comes in Ortemburg, Baro in Karlsbach, Do. in Hericurt, Lile &c.

Christophorus à Liechtenstain in Nicolsburg, Dominus in Durnholtz.

Wolfgangus à Liechtenstain in Nicolsburg & in Wilfersdorff.

Ioannes Funfskircher in Stainprunn & in Falekhenstain, Ro: Cæsa: Maiestatis &c. consiliarius.

Vitus Albertus à Puechaim, Dominus in Horn, hæreditarius dapifer Austriæ citrà Anisum, Regis itidem Bohæmiæ &c. dapifer.

Hi omnes indumenta holoserica nigra gerebant: Lacinijs vndiq; squamatis dependentibus: Pilei & plumæ iisdem coloribus imbuebantur, squamatis passim limbis defluentibus, manibus vnusquisq; lanceam gestabat. Deinde sex pedisequi, terni & terni ingrediebantur: Caligas ex nigro panno confectas, ac serico flauo subductas gerentes: Tunicae ex nigro Attalico obductæ limbis holosericeis erant: Pilei ex nigro holoserico concinati: Fasciis croceis per transversum obducebantur, vnâ cum plumis bicoloribus, subibant deinde imaginibus & maiorum titulis clari puges.

Volcardus

Volcardus ab Auerberg, Ro: Cæsa: Maieſtatis &c. præ-
guſtator & Archippocomus.

Wolffardus Strain, Dominus in Schwartzzenaw.

Hi omnes cataphracti armis relucentibus prodibant. Lori-
cam, ſuccinctorium ex holoſerico nigro ſquamato ambebat Ga-
leam pulcherrimi plumarum faſciculi crocei & albi coloris ador-
nabant.

Octava Turma, vnus ATHLETÆ TOTA ERAT

CANDIDA.



IS proximi ſuccedebant duo Æneatores, equis
inſidentes, qui à calce ad verticem, vſq; candidis
veſtibus, ex ſetabo confectis erant obuelati. Hos
ponè ſequebantur duo armigeri ex Styria oriun-
di, & genere, & virtutibus clari. nimirum

Hi pariter ab imo calcaneo, ad ſummum capitis, albis ve-
ſtibus attalicis amiſti, lanceas manibus ferebant. Hos excipiebat
nobili & præclaro loco natus.

Seruatiùs à Dueffenbach in Mayerhoff, cataphractus armis
candore niuem vincentibus, quæ obuelabantur ephæſtri, ex holo-
ſerico candido conſuta. In Galeæ criſta, explicatis alis volanti
perſimilis ardea ſpectabatur, equi phaleræ, ex candido holoſerico
villoſo conſtabant. Antè & retrò inſignibus plumarum manipu-
lis exornati.

L NONA

Nona Turma, croceo RVBRO, ET CANDIDO

COLORIBVS, INSIGNITA

septem habuit Ago-
nistas.



Cravam turmam excipiebāt quatuor rubicines, amicti tunicis ex Attalico Brugenſi confectis. Eiusdem panni tegmina, caput obuelabant. Hæc vnā cum cæteris veſtibus, aureis ſolibus, ac argenteis ſtellis decorabantur. Præterea galeri plumicroceis, rubris ac candidis ornabantur. Hos ſequebantur duodecim plus minus armigeri, tunicis ex rubro ſerico confectis amicti, ornatique eiusdem panni galeris, quibus etiam trium colorum plumarum manipuli imponebantur. Indumenta inſuper, ſoles ex auro, & ſtellas ex argento ſuprà modum affabre factas habebāt. Poſt hos incedebant imaginibus clari Domini Gymnici.

Ioannes à Sternberg, Ferdinandi Aulicæ Archiducis &c. dapifer.

Zdiſſa Borin, eiusdem Archiducis præguſtator.

Casparus à Pannowitz, in Mechawitz.

Theodoricus à Deckowitz, eiusdem Archiducis dapifer.

Ioannes Albertus, Dominus ab Eilenburg, ſupradicti Archiducis aulicus.

Maximilianus à Knobelsdorff, eiusdem Archiducis &c. purpuratus.

Hi omnes, ſuprà arma gerebant veſtes rubras, ex ſerico confutas. Eundem ad modum pilei, ac plumæ ſupradictis coloribus infectæ, ſtrata etiam ex rubro ſerabo confecta, cum cæteris, tam virorum quàm equorum ornamentis, ſolibus aureis, argenteisque ſtellis refulgebant.

DECI.

Decima Turma, Rubra,

FLAVA ET CANDIDA,

VNIVS ERAT

Agonistæ.



Decima turma, primum in aream duobus tubicini-
bus descendit, albis tunicis sericis induta,
ijsq; paulò laxioribus. Caligæ, ex flauo colore
constabant, chlamides rubras in latere, Romano
more apertas, gerebant. Tubæ vexillis croceis,
ijsdemq; bifurcatis exornatæ spectabantur. Caputum tegmina acu-
minata, more Romano, in fronte reflexa, rubro & cæruleo colo-
re, plumis insignibus decorata gestabant. Deinde sequebantur
duo armigeri antiquæ nobilitatis.

Iohannes Pettey, Baro à Gerffe, Cæsa: Maiestatis &c. pin-
cerna, ac supremus quæstor & præses in Edenburg. &

Wolfgangus à Puechaim in Gellersdorff, supremus archi-
dapifer Austriæ citrà Anisum.

Hi tibialia gerebant serica, tunicaq; ex eodem panno colo-
ris cærulei, confectas, chlamides rubras sericas, hinc inde volantes
super inductas habebant, quæ propè iugulum fibula constringe-
bantur. Pilei reflexi in fronte, Turcicum morem imitabantur, his
plumei fasciculi tricolores affixi erant. Adhæc ocreis candidis or-
nati, manibus clauas gerebant. Equorum verò phaleræ, niue can-
didiores, resplendebant. His succedebant duo adolescentes no-
biles, eodem vestium cultu quo & tubicines exornati, domino-
rum suorum galeis recti, lanceasq; manibus ferentes. Cristam
galeæ, plumæ tricolores, utpotè, crocæ, albæ, & rubræ, conde-
corabant, stragula verò equorum, ex candido Attalico consta-
bant, fimbriata aureo atq; argenteo panno, cui in medio rosæ au-
ræ affutæ spectabantur. Post hos incedebat, Generosissimus Io-
hannes Henricus Schenckh à Schenckhstein, Cæsa. Maiestatis &c.
centurio, eiusdemq; liberorum purpuratus, eodem corporis cultu,

L ij

quo

quo Mercurius à Poëtis depingi solet, amictus: armis enim pul-
te conglutinis, ac scitè depictis, argentoq; obductis, eaq; arte
atq; industria confectis, vt quis vera arma fuisse, facile credidif-
set, induebatur. Armaturam tegebat tunica Attalica, Romano
more confuta, obuolitans, capitis tegmen rubrum erat, cui duæ
columbinæ alæ affixæ candidæ spectabantur. Manu caduceū gere-
bat, quem duo serpentes intorti ambiebant, pro talaribus genero-
sissimo equo utebatur, quem phaleræ sericæ adornabant. Strata ve-
rò ab vtraq; parte ad terram propemodum dependebant, quæ Ap-
pellea arte inflexis, ac in sese redeuntibus circulis, ornabantur.
Ephipij ornamenta attri coloris erant, anterior & posterior pars
equi, ex serico rubro etiam circulis eodem modo confectis, insi-
gnibus constabant. Hic ducebat Cybelen, Deorum omnium
matrem, equo etiam suprâ modum exornato insidentem, atq;
amictam purpurea muliebri veste, quæ ex Attalico confecta fim-
brijs panni aurei circū obducta erat. Capite verò gerebat tegmen,
ex aureo panno confutū, cuius summitati globus artificiosè com-
pactus imponebatur, ex quo in tergum dependebant fasciæ quæ-
dam sericæ. Hos sequebantur duo tibicines Daci, eodem modo,
quo tubicines caligis ac penulis amicti, chlamides in latere ad-
apertæ erant, in anteriori verò parte integræ. Hæ limbis ex croceo
lino confectis circumdabantur. Capitum tegmina, ad veterum
Romanorum morem accedebant. His in occipitio plumæ galli
gallinacei prælongæ imponebantur. Præterea vtraq; auris plu-
mam rubri & cærulei coloris gerebat. Hos sequebatur rerum ge-
starum gloria, & rei militaris scientia atq; vfu longè clarissimus.

Casparus Baro in Fells, Dominus in Schenckenberg, Cæ.
Maiestatis &c. consiliarius aulicus, ac eiusdem cohortis equitum
prætorix Dux, qui cataphractus ingenti sub rupe, monticuli in-
star fabricata, equo insidens, in circum descendit, quæ tanta indu-
stria erat confecta, vt veri montis speciem præseferret: scitè enim
vndiq; depicta, ac circumcirca virentibus ramis, arbusculisq; fron-
dentibus obtegebatur. Sed quid verbis opus est? ea arte elaboratus
erat ille monticulus, vt quis sanctè deierasset, genuinum, non fi-
ctum fuisse. Hic præterea adeò affabrè construebatur, vt nemo deprehen-

deprehen-

deprehendere potuerit, quomodo in Catadromum adduceretur. Rupi turre imposita erat non cōtemnendæ altitudinis, hanc quatuor armati sarissophori incedentes stipabant, & à Generosissimi Baronis ædibus ad circum vsq; comitabantur. Cæterum cum in palestram monticulus adductus esset, Mercurius literas manu ferens, vnà cum Nobili ac Strenuo Dñō Ioanne Khynszky Ro: Cæs: Ma: Dapifero, qui ipsam Deam representabat, & sub vestitu cataphractus erat, in conspectum iudicum prodijt, ijsq; exhibito honore, vt par erat, literas tradidit, quarum ferè hic erat sensus.

Ego summa Dea Cybelæ, terræ, cœliq; filia, omniumq; Deorum mater, vos certiores reddo, me ex Augusto concilio Deorum Iouis & Veneris accepisse, hac in aula Cæs: Maieft: promulgatos esse famosos libellos, quibus amorem funditus opprimendū esse censent. Quod valdè temerarium esse videtur, præcipuè cum in hoc terrarū orbe nihil existat, quod non amoris gratia & causa procreatum sit, ac in hoc singulari Dei Saturni prouidentia destinatum. Quod si ad eorum libidinem, improbum hoc facinus effectum sortiri deberet, certè actum esset de humano genere, & pulchra illa Dei soboles penitus interiret. Quamobrem assuero nisi adamantini truces ac crudeles illi equites, temerarium & facinorosum consilium mutarint, illamq; nocendi libidinem animo exuerint, per diuinum numen iuro, me Iouis filij mei ope hodiernā die effecturam, vt ab huiusmodi sententia stulta ac friuola, in eorum dedecus atq; opprobrium deijciantur, atq; succumbant.

Postquàm Iudices literas perlegissent, Dea vnà cū Mercurio summa celeritate rupem accessit, quæ baculo tacta, quem manibus gestabat, vltro statim sese apperuit. Aperto vndiq; colle præclarus ille Heros Baro à Fells, auro insignis & ostro, cōcitato equo in aream profilijt. Illicò quatuor mortaria (vt vocant Neoterici) puluere tormentario imposito, igneq; admoto, tormentorum in morem, horribili compleuerunt æra fragore. Ex turri quoq; rupi imposita mirabili artificio ignis proijciebatur, & ij, qui sub rupe occultabantur, Syphunculis prætereuntes, aqua aspergebant. Interea Sarissæ, quas milites stipendiarij gerebant, admirabili quodam ingenio, igni intrinsecus composito, passim crepitantes flammæ globos euomebant, qui tanto fragore, tamq; impetuoso

strepitu, cœlestia terrestribus comiscebant, vt oēs quotquot in arca
aderant, veluti Iouis fulmine iacti viderentur. Inter hæc palestram
ingrediebatur Vngarus, inusitate magnitudinis, prælongis gralla-
toris perticis innixus, ac brachis sclauonicis candidis amictus.

Vndecima Turma, croceis,

SPADICEIS ET CANDIDIS COLORIBVS

amicta, tres Agonistas habuit.

VNdecimo in campū descenderunt quatuor Aeneatores, equis
insidentes, tunicis tribus coloribus supradictis induti. Pilei,
plumæ, ac vexilla tubis dependentia, eosdem colores referebant.
Hos excipiebant sex Armigeri summo loco nati nimirū Domini,
Ioannes Khuen à Welasy in Liechtenberg.

Bernardus Weltzer, in Spiegelfeldt Se: Re: Bo: &c. prægustator.

Adam Hohenwarter, eiusdem Se: Re: Bo: &c. prægustator.

Iacobus Khuen à Welasy in Liechtenperg, S: Cc: Ma: prægusta:

Guilielmus à Hoffkhircken, Et Didacus dassenas Hispanus.

Hi omnes candidis vestibus ex duplo multitio, quas per trans-
uersum in modū crucis ex limbis aureis interiectis & super quan-
libet crucē rose spadicee videbantur, erant amicti. Capitū tegmi-
na candida erant elegantissimis plumis exornata, manibus singuli
lanceas parmatas more solito ferebant. Post hos, equis alacribus ve-
cti veniebant: tres Agonistæ amplissimè armis & vestibus instru-
cti Succinctoria & equorum phaleræ ex eodem candido multitio
erant, ac desuper fimbris aureis vnà cum spadiceis rosis vt supra di-
ctū est assuebantur. Manibus vnusquisq; scipionem depictū ferebat
Galeas verò & equos à fronte & à tergo pulcherrimi plumarum
concolores fasciculi decorabant, ac ante eos sex pedissequi iisdem
coloribus variatis vestibus induti precedebant. Agonistarum ve-
rò nomina hic cognosces. Nimirum

Rudolphus Khuen à Welasy in Liechtemperg, Se: Re: Bo: &c.
à cubiculis.

Ioannes Baro à Kreig, Cubicularius & Dapifer hereditarius
in Carinthia, itidem Se: Re: Boh: &c. pincerna. &

Paulus Guilielmus Baro à Zelting Dominus in Zierendorff,
eiusdemq; Se: Re: Boh: &c. Cubicularius.

Duodecima Turma, fla.

VIS, CÆRVLEIS, ET CANDI-

DIS VESTIBVS INDVTOS DECEM

Agonistas habuit.



OST hos circum ingressi sunt duodecim tubicines, vnà cum tympanotriba, tunicis flauis sericis, iisdemq; manicatis induti, Pilei plumis tricoloribus ornati, ex albo serico constabant.

Tubis vexilla dependebant serica, totidem coloribus variata. Tympanum equestre eundem in modum condecoratum erat. His succedebant permulti alij armigeri, quorum nomina hic libens prætereo, partim breuitatis causa, partim quòd multorum nomina propria & gentilitia, eorumq; titulos, non ita commodè nancisci potuerim. Hi armati erant tunicis holosericis croceis, circumcirca limbis cæruleis ac candidis obductis, Pilei plumis exornati, eundem colorem referebant. Manibus lanceas, insertis ancilijs gestabant. Ad hæc enses, pugiones, & cingula inaurata conspiciebantur, deinde procedebant vetustæ nobilitatis armigeri. Primum.

Illustrissimus, Serenissimusq; Ferdinandus Austriæ Archidux, rei militaris gloria insignis, equo generosissimo insidens, lorica aurata indutus. Hunc & præibant, & sequebantur præstantis familiæ decem pedissequi, quorum vnusquisq; femoralia ex holoserico confecta, thoraces attalicos, ac diptheras candidas habuit. Capita galeris croceis sericis, quos plumæ tribus iam dictis coloribus imbutæ decorabant, tegebantur. Manibus ferebant caduceos croceo, cæruleo, ac candido coloribus depictos. Archiducem Ferdinandum excipiebant cæteri subscripti Agonistæ, trini & trini procedentes.

Andreas

Andreas Teuffel, Ferdinandi Archiducis Austriae &c. consiliarius ac Archippocomus.

Fridericus Ludouicus à Malouitz, eiusdem Archiducis archidapifer.

Iaroslaus Leibstanskhi, Domitnus in Kollenbror.

Fridericus Baro à Castello, Barcho & Agrest &c. eiusdem Archiducis prægustator.

Iulius à Riua, Archiducis Ferdinandi cubicularius.

Hercules à Riua, eiusdem Archiducis satrapa, fratres.

Nicolaus à Miltitz.

Georgius Iablonski, eiusdem Archiducis dapifer. &

Henricus Stainpach, eiusdem Archiducis prægustator.

Horum nonnulli, præcipuè tamen ipse Austriae Archidux Ferdinandus &c. armis auratis conspiciebatur. Succinctoria, ex aureo argenteo & cæruleo serico contexta habebant: Galeæ, insignium plumarum preciosissimis fasciculis ornabantur. Gladij, pugiones, cæteraq; arma auro resplendescabant: Baculos tribus iam enumeratis coloribus tinctos gestabant. Stragula, ex flauo coloris attalico confuta, vndiq; limbis aureis, argenteis, cæruleisq; coloris sericis obtegebantur. Ex his nodi aliquot eadem materia concinnati dependebant, equorum quoq; antilenæ, ac postilenæ ingentibus plumarum manipulis exornabantur.

Decimatertia Turma,

ALBIS ET RVBRIS IN-

DVTA VESTIBVS, DVOS

pugiles habebat.



Decimatertiò equis insidentes in arenam descendebant duo Aneatores, tunicis ex albo & rubro setabo confectis exculti: itidem & pilei diuersi coloris, vnà cum plumis dependitibus illis imponebantur. Proximi his erant quatuor armigeri, &

geri & ipsi candidis attalicis indumentis, mirum in modum exculi, quibus à fronte & à tergo cruces rubrae decussatim, more Burgundico constitutae, assuebantur. Capiti ex attalico albo, una cum plumis candidis ac rubris, pilei impositi erant. Subsequebantur hos viri summo loco nati.

Andreas à Khäendorff in Wolsdorff. &

Matthias Schrenckhl, cataphracti armis candentibus induti, verticem galeae, bicolores exornabant plumae. Succinctoria praeterea et equorum strata, ex candido attalico passim purpureis decussatim constitutis crucibus Burgundicis condecorabantur. Scipiones, quos manibus gerebant, iisdem coloribus supradictis depingebantur.

Decimaquarta Turma,

DVORVM AGONISTARVM,

QVI ALBO ET NIGRO AMICTV

vtebantur.



Vltimò, in arenam descenderunt duo rubicines, sericis nigris & candidis coloribus distinctis tunicis induti, quos ponè sequebantur duo armigeri, vestibus amicti holofericis nigris, quas limbi candidi ex setabo confecti ambiebant. Caputum regmina atra erant, quibus binæ plumae supradictis coloribus infectae affigebantur. Hi procerum suorum lanceas continuo subsequentes ferebant. Agonistarum clarissimorum porro nomina haec sunt.

Fridericus à Khitlitz, Illustrissimi Archiducis Ferdinandi pincerna.

Michael Tschirnhaufs, eiusdem Archiducis, purpuratus.

Hi amicti erant succinctorijs, confectis ex atrii & candidi coloris attalico. Phaleræ equorum rubrae, expolitaeque rosae, ex auro ficto deductis, ac alijs quibusdam instar flammarum prorum-

M

pentium,

pentium, ornamentis appictis spectabantur. Galeæ vnà cum antilenis et postilenis, insignibus plumarū fasciculis condecorabantur.

Breuis & succincta descri- PTIO, COMPLECTENS, QVO

NAM PACTO SESE CERTATORES

omnes in Martialibus ludis
gesserint.



Vandoquidem nihil à me hætenus commemo-
ratum est, quo pacto sese supradicti equites in
palestra gesserint, hîc tribus (quod aiunt) ver-
bis illud ipsum subnectam. Et certè vel me ta-
cente, quilibet candidus lector secum perpende-

re poterit, nullos veræ nobilitatis equites in circum descendisse,
qui non in omnibus istis Martialibus ludis sese viros, rei militaris
peritissimos præstiterint. Interim tamen quotidiana experientia
docet, vnum altero longè dexterius, fortius, feliciusq; decertare:
quare minimè mirandum est, si in tanto, tamq; excellenti vario-
rum equitum decursu, quispiam ex equo in terram deciderit:
Nam fortuna vt est variabilis: ita nunc huic, nunc illi fauet, &
in bello plærumq; accidere solet, vt is, qui viribus pollet, ab imbe-
cilliori deijciatur, quemadmodum & vsu venire videmus, vt parui
quiq; longissimos quosq; prosternant. Cæterum quanquam om-
nes Agonistæ, nulla in parte sibi defuerint in decertando lanceis,
quò ipsi misero & ærumnoso Cupidini auxiliarentur, opemq; fer-
rent, atq; adeò strenuè d pugnarent, vt nonnunquàm eo prope-
modum peruentum fuerit, quo liber Cupido dimitteretur: Ta-
men vltimò in illas misérias dilapsus est, vt ad gradum istum, in
quo afflicto amorum Deo turpissima crux erecta fuit, euehere-
tur, in quam procul dubio fuisset adaçtus, ni boni quidam viri,
Cupidinis telas experti, pro eo apud Agonotheras intercessissent.
Interim tamen eo in loco ipsi manendum fuit, quoad ludi Mar-
tiales ad finem perducerentur.

PRO-